

factas; quum præsertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinæ suæ defensione potuisset auctor afferre, id minime a censoribus, atque iudicibus ignoratum, neglectumque fuisse. Nihil tamen minus, quod sæpe alias summa æquitatis, et prudentiæ ratione ab eadem congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de auctore catholico, aliqua nominis et meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis demendis, in publicum prodire, et prodesse posse dignoscatur, vel auctorem ipsum causam tueri volentem audiat, vel unum ex consultoribus designet, qui *ex officio* operis patrocinium defensionemque suscipiat.

« § 11. Quemadmodum vero, ubi de congregatione sancti Officii agebamus, eidem Nos semper interfuturos recepimus, quotiescunque de libro, cujus materia gravioris momenti sit, iudicium agatur; quod erit Nobis facillimum, quum eadem congregatio qualibet feria quinta coram nobis habeatur; sic et Indicis congregationi præsentiam nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel hæretici hominis liber denuntiatur, in quo auctor errores catholico dogmati adversantes consulto tradit, aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur, quo rectæ morum regulæ labefactantur, ac vitiiis et corruptelis fermenta præbentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratioribus cautelas adhibere necesse erit, sed hæretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis decretum illico faciendum erit, juxta primam, secundam, et septimam Indicis regulas sacrosancti Tridentini concilii jussu editas atque vulgatas.

« § 12. Cum in prælaudata congregatione sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur, Nos hanc eandem silentii legem a relatoribus, consultoribus et cardinalibus congregationis Indicis religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censuræ subjectos, eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus, et postulantibus, sub eadem decreti lege communicare queat, suppressis semper denunciatoris censorisque nominibus.

« § 13. Examinandis, corrigendisque libris peropportuna sunt, quæ decem regulis Indicis a Patribus Tridentinæ synodi confectis atque editis continentur. In instructione autem felicis recordationis Clementis Papæ VIII ejusdem regulis adjecta, tit. *De correctione librorum* § 5, episcopis et inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendorum examen *spectata pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant nihil eos gratiæ daturus, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei duntaxat gloriam*

spectaturos, et fidelis populi utilitatem. His porro virtutibus, animique dotibus, si non majori, at pari certe de causa, præstare oportet hujus nostræ congregationis revisores et consultores. Cumque eos omnes, qui nunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus, optandum, sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vita integros, probatæ doctrinæ, maturo iudicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio personarumque acceptione alienos; qui æquitatem, libertatemque iudicandi, cum prudentia, et veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus nunc certus et constitutus non sit, ab ejusdem congregationis cardinalibus consilium expectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat; hoc tamen jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam relatores, quam consultores, ex utroque clero, sæculari nempe, et regulari, assumantur, alii quidem theologii, alii utriusque juris periti, alii sacra et profana eruditione præstantes, ut ex eorum cœtu, pro varietate librorum, qui ad congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque iudicium.

« § 14. Ipsos autem relatores consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocunque futuros, monemus, et vehementer hortamur, ut in examine iudicioque librorum, sequentes regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

« § 15. I. Meminerint, non id sibi muneris, onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent, atque urgeant: sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsum expendent, fideles observationes suas, verasque rationes congregationi suppeditent, ex quibus rectum iudicium de illo ferre, ejusque proscriptionem, emendationem aut dimissionem pro merito decernere valeat.

« § 16. II. Tametsi hætenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum et consulendum in prædicta congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices iudicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur ab illius peculiari-bus studiis aliena, idque a censore, aut consultore electo, ex ipsa libri lectione deprehendatur; noverit is se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id congregationi aut secretario aperiat, sequæ ad ferendam de hujusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id munus subrogari curet: quo tantum abest, ut existimationis suæ dispendium apud pontificem et cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, et candoris opinionem et laudem sibi sit conciliaturus.

« § 17. III. De variis opinionibus, atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant: studia partium seponant; Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quæ conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum constitutionibus, et orthodoxorum Patrum, atque doctorum consensu continetur, unice præ oculis habeant; hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiorum videntur, et nihilominus, sine ullo fidei aut religionis detrimento, ab aliis catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

« § 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum iudicium de vero auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quæque diversis in locis posita, et collocata sunt, inter se comparentur; universum præterea auctoris consilium, et institutum attente dispiciatur; neque vero una, vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quæ in eodem libro continentur, considerata et expensa, de eo pronuntiandum esse: sæpe enim accidit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfunctorie, aut subobscurè traditum est, ita alio loco distincte, copiose, ac dilucide explicetur, ut offusæ priori sententiæ tenebræ, quibus involuta pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expertis propositio dignoscatur.

« § 19. V. Quod si ambigua quædam exciderint auctori, qui alioquin catholicus sit, et integra religionis, doctrinæque fama, æquitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit explicata, in bonam partem accipiantur.

« § 20. Has porro, similesque regulas, quæ apud optimos scriptores de his agentes facile occurrunt, semper animo propositas habeant censores et consultores; quo valeant in hoc gravissimo iudicii genere, conscientiæ suæ, auctorum famæ, Ecclesiæ bono, et fidelium utilitati consulere. Duo autem reliqua sunt, in eum finem plane opportuna, quæ hoc loco adjungenda omnino esse iudicamus.

« § 21. Prodeunt aliquando libri, in quibus falsa, et reprobata dogmata, aut systemata, religioni, vel moribus exitiosa, tanquam aliorum inventa et cogitata, exponuntur, et referuntur, absque eo quod auctor, qui opus suum pravis hujusmodi mercibus onerare satagit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni, aut censuræ obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut aiunt, opinionibus nihil ipsi affirmant, sed historice agant. At quidquid sit de eorum animo, et consilio, deque personali in eos animad-

versione, de qua viderint, qui in tribunali-bus ad coercenda crimina institutis jus dicunt, dubitari certe non potest, magnam ejusmodi libris in Christianam rempublicam labem, ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena propinent, nullo exhibitio, vel parato, quo præser-ventur, antidoto. Subtilissimum hoc humanæ malitiæ inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam diligentissime revisores advertant, ac censuræ subjiciant; ut, vel hujusmodi libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendantur; vel in velitorum Indicem omnino referantur.

« § 22. In ea, quam superius laudavimus, prædecessoris nostri Clementis Papæ VIII instructione, tit. *De correct. lib.*, § 2, sapientissime cautum legitur, ut *quæ famæ proximorum, et præsertim ecclesiasticorum et principum detrahunt, bonisque moribus, et Christianæ disciplinæ sunt contraria, expungantur.* Et paulo post: *Facetiæ etiam, aut diceria, in perniciem, aut præjudicium famæ, et existimationis aliorum jactata, repudientur.* Utinam vero in aspectum, lucemque hominum libri ejusmodi in hac temporum licentia, et pravitate non efferrentur, in quibus dissidentes auctores mutuis se jurgiis, conviciisque proscindunt: aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt, adversarios, eorumque scholas, ac cœtus suggillant, et pro ridiculis ducunt, magno quidem honorum scandalo, hæreticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se catholicis, sequæ mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, præsertim cum librorum numerus continenter augeatur: *Faciendi enim plures libros nullus est finis, ut est apud Ecclesiasten, cap. xii; compertum præterea Nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex eis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus, et Christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. Non inutiliter (inquit Augustinus in *Enchirid.*, capit. 59, prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire, quod nesciunt.* Qui veritatis studium, et purioris doctrinæ zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam Evangelicæ mansuetudinis, et Christianæ charitatis rationem. Charitas autem de corde puro, patiens est, benigna est, non irritatur, non æmulatur, non agit perperam (utque addit idem Augustinus, *Lib. contra litteras Petiliani*, cap. 29, n. 31), *sine superbia de veritate præsumit, sine sævitia pro veritate certat.* Hæc magnus ille non veritatis minus, quam charitatis doctor, et scripto, et opere præmonstravit. Nam in suis adversus Manichæos, Pelagianos, Donatistas, aliosque tam sibi, quam Ecclesiæ adversantes assiduis conflictationibus, id semper diligen-*

tissime cavit, ne quempiam eorum injuriis, aut conviciis læderet, atque exasperaret. Qui secus scribendo, vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi præcipue cordi esse, nec charitatem sectari se ostendit.

« § 23. Si quoque non satis idoneam justamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profitentur, erga veteres doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrentur. Nam si carpere novos audeant, forte ab lædendis veteribus sibi minime temperassent, si in eorum tempora incidissent; quod præclare animadversum est ab auctore *Operis imperfecti in Matthæum*, homil. 42: *Cum audieris, inquit, aliquem beatificantem antiquos doctores, proba, qualis sit circa suos doctores: Si enim illos, quibuscumque vivit, sustinet et honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset: si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, et illos contempsisset.* Quamobrem firmum ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt, ac disputant, id quod graviter, ac sapienter a Ven. servo Dei prædecessore nostro Innoc. XI, præscriptum est in decreto edito die 2 Martii anni millesimi sexcentissimi septuagesimi noni: *Tandem, inquit, ut ab injuriis contentionibus, doctores, seu scholastici, aut alii quicumque in posterum absterneant, ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus ac prædicationibus, caveant ab omni censura et nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter catholicos controversantur, donec a Sancta Sede recognita sint, et super eis judicium profertur.* Cohibeatur itaque ea scriptorum licentia, qui, ut aiebat Augustinus lib. XII *Conf.*, cap. 25, n. 34, *sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est,* aliorum opiniones non modo improbant, sed liberaliter etiam notant atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiæ dogmata, a quopiam in libris obrudi, oppositas vero erroris insimulari; quo turbæ in Ecclesia excitantur, dissidia inter doctores aut seruntur, aut foveantur, et Christianæ charitatis vincula persæpe abrumpuntur.

« § 24. Angelicus scholarum princeps, Ecclesiæque doctor S. Th. Aquinas, dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, necessario offendit philosophorumque, theologorumque opiniones, quas, veritate impellente, refellere debuit. Cæteras vero tanti doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus sit, sed omnes officiose, ac perhumaniter demereri. Nam si quid durius, ambiguum, obscurumve eorum dictis subesset, id leniter et benigne interpretando, emolliabat atque explicabat. Si autem religionis ac fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet ac refutaret, tanta id præstabat modestia, ut non minorem ab

illis dissentiendo, quam catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent, ac gloriari magistro (quos magno numero esse, singulari nostro erga ipsum cultu, studioque, gaudemus) si sibi ad æmulandum proponant tanti doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi, disputandique rationem. Ad hanc cæteri quoque sese componere studeant, qui ab ejus schola, doctrinaque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositæ sunt. Cumque Angelicus doctor sanctorum albo ascriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen contrariam in agendo, ac disputando rationem inire omnino non licet. Nimum interest publicæ tranquillitatis, proximorum ædificationis, et charitatis, ut e catholicorum scriptis absit livor, acerbitas, atque scurrilitas, a Christiana institutione, ac disciplina, et ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in hujusmodi scriptorum licentiam graviter, pro munere suo censuram intendant revisores librorum, eamque congregationis cardinalibus cognoscendam subjiciant, ut eam pro zelo suo et potestate coerceant.

« § 25. Quæ hactenus a nobis proposita ac constituta sunt, prædecessorum nostrorum decretis plane consona, congregationum quoque nostrarum legibus et consuetudinibus comprobata, in librorum examine, ac judicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: mandantes universis, qui in præfatis congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam præstant, ut adversus præmissa sic a nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intentare præsumant, absque nostra, vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

« § 26. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam Apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, necnon earumdem congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

« § 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, mandatorum, statutorum, voluntatum ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, septimo Idus Julii, pontificatus nostri anno tertio decimo.

« D. card. PASSIONEUS.

« J. DATARIUS.

« Visa de curia

« J. C. BOSCHI.

« J. B. EUGENIUS. »

Loco † Plumbi.

Registrata in secretaria brevium.

§ III.

De auctoritate decretorum librorum vetantium; de pœnis in eos latis; qui hujusmodi libros legant, retineant, etc.

In primo capite ostendimus, antequam inventa esset ars typographica, Ecclesiæ curam universim fuisse, ut igne perderet hæreticorum, aliosque religioni ac pietati inimicos libros, vocato multoties in subsidium brachio sæculari, et ecclesiasticis quandoque censuris adhibitis, ut hujusmodi libros detegeret, ut excitaret episcopos ad eorumdem inquisitionem, fidelesque ad eos episcopis deferendos, ut comburerentur. Id autem non ita intelligant, velim, quasi illorum lectio vetita non esset, sed sola librorum combustio decerneretur. Nam regula generalis erat, ut ex S. Gregorio Magno lib. VII, capit. 48, colligitur, *damnato auctore damnari ejus scripturas, et libros, et opera,* in quibus errores essent, quorum causa damnaretur. Quæ vero damnatio fuisset operum, si retineri ac legi potuissent? Imo dum sub anathematis pœna auctores damnati essent, eisdem pœnis subjectos fuisse arbitror tenentes legentesque eorum libros. Præsertim cum eorum fautores haberentur, quorum apud se haberent ac legerent libros. In altero autem capite ostendimus, post illius artis inventionem, et postquam tot hæreses in schismata divisere christianos, consuevisse utique nonnullos libros juxta antiquam consuetudinem comburi, at fieri non potuisse, ut hac via e fidelium manibus omnino præriperentur; quamobrem nova opus fuisse disciplina, quam quidem singulari Apostolicæ Sedis cura stabilitam ac absolutam fuisse demonstravimus. In hoc itaque primum de pœnis in hac disciplina constitutis, deque obligatione agemus, quæ ex decretis librorum vetantibus oritur.

Primum itaque lex in concilio Lateranensi sub Leone X lata, inculcata in concilio Tridentino, atque in Indice renovata, contra typographos, qui libros vulgent, qui prius ab illis non sint approbati, quibus hoc munus commissum est, pœnam constituit contra illius violatores, *amissionis omnium librorum, eorumque publicæ combustionis, ac centum ducatorum: item excommunicationis, et integri anni suspensionis* ab officio et exercitio typographico, præter pœnas arbitrio episcoporum contumacibus infligendas.

Deinde in legentes, tenentes, ac imprimentes libros prohibitos variæ constitutæ sunt pœnæ, pro varietate librorum: nonnulli enim sub *excommunicatione* vetantur, quæ bulla Cœnæ continetur, quæque est Romano Pontifici reservata. Alii vero sub pœna excommunicationis, quæ in regulis Indicis exprimitur, prohibiti sunt, quæ tamen excommunicatio nulli reservatur. Aliibrevibus, seu bullis Romanorum Pontificum singulariter proscripti fuere, atque ita prohibiti in novo Indice indicantur. Si vero fere omnes, etsi ab auctoribus catholicis conscripti sint, et ex professo de hæresi non tractent, tamen sub excommunicationis pœna Romano Pon-

tifici reservatæ prohibentur, ut consulenti brevia, bullasque Pontificias liquebit. Alii denique sub pœna tantum peccati mortalis, aliisque pœnis arbitrio episcopi contumacibus infligendis. Ne vero lectores cum P. Concina tom. I *Theol. Christ.*, lib. I, disput. 2, pag. 221, putent, etiam libros omnes catholicos, quacunque ex causa prohibitos, vetari sub peccato mortali, et excommunicatione non reservata, placet hic in medium proferre verba constitut. Pii Papæ IV incipien. *Dominici gregis: Si quis, inquit, adversus eas regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis auctoris scripta propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum tanquam de hæresi suspectum inquiri et procedi liceat; præter alias pœnas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritque, præter peccati mortalis reatum, episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum.*

In excommunicationem bullæ Cœnæ incurrun legentes, vel refines quoscunque libros Lutheri, Calvini, aliorumque hæresiarcharum, de quocunque argumento tractantes, sive ex professo de religione agant, sive non, sive hæreses inspersas habeant, sive non. Hoc autem nomine designantur, qui novas hæreses et sectas condiderunt, aut veteres jam sepultas et extinctas iterum instaurarunt, aut suscitaverunt. Quod quidem nomina ipsa designant hæresiarchæ, capituli, et ducis in prima regula Indicis expressa. In eandem excommunicationem incidunt legentes, habentesque libros, quorumcunque hæreticorum, ex professo de religione tractantes. Tractant autem ex professo de religione, agentes de sacra Scriptura, de theologia dogmatica, scholastica, et morali, de jure canonico, de historia ecclesiastica, de clericis, de monachis, de sanctorum cultu, de sacramentis, de sacris ritibus, deque aliis ad religionem pertinentibus. Itaque qui scienter, hoc est, scientes auctores esse hæreticos, vel libros esse ab Ecclesia vetitos, hujusmodi libros legant sine debita licentia, sive id ex mera curiositate, sive etiam animo refellendi errores id agant, excommunicationem antea dictam subeunt; dummodo parvitas materiæ non excuset. Eandem incurrun eosdem ementes, etiam ad merum ornatum bibliothecæ, imo et qui apud alios quoque retineant, qui facultatem habeant, retento dominio, nisi id per breve sit temporis spatium, quod aliquantulum extendi potest, dum justa causa adsit spei obtinendæ facultatis. Extenditur quoque excommunicatio illa ad eos, qui operam ad horum librorum editionem conferunt, ut sunt typographus, qui sumptus suppeditat, qui æneas literas jungunt et componunt, qui prælo excudunt, quique typos perlegunt et corrigunt. Ac demum ad eos, qui hujusmodi libros defendunt; defendere autem dicuntur libros, qui eorum prohibitionem impediunt; qui eosdem

utiles bonosque esse, non vero damnandos prædicent; aliaque agant, quæ ad illorum detentionem pertineant. Si omnes in duplicem excommunicationem incidunt, alteram bullæ, cuius absolutio Summo Pontifici reservata est, alteram Indicis, quæ non est reservata.

Dum vero libri sint ab hæretico homine conscripti, de religione vero non tractent, sed philosophiam, rhetoricam, historiam profanam, medicinam, aliamque inferiorem facultatem exponant, si a theologis, aliisque jussu episcoporum, vel inquisitorum, examinati, approbati sint, omnino permittuntur. Tunc enim præsumitur, aut nullos habuisse errores, aut fuisse jam expurgatos. Quia vero quotquot exeunt ex hæreticorum officinis, juxta præscriptum regularum Indicis editi non sunt, omnes fere reseruatæ argumenti per regulam 10 proscripsi esse videntur. Sed ad Catholicorum loca delati universim veluti permissi haberi solent, donec Ecclesiæ judicio in damnatorum catalogum referantur. Id autem non alia de causa, ut ego arbitror, nisi quod per revisores deputatos ad examen librorum, qui in catholicorum civitates introducuntur veluti examinati, probatique habentur. Quamobrem graviter peccant revisores, si suspectos hujusmodi libros examinare negligant, ac mercatores etiam librorum, alique, qui scientes illos e suspectis typographis prodiisse, eosdem de industria deputatis revisoribus occultare student. Nam præterquam quod contra Ecclesiæ legem agunt libros illos examini subijcientem, in causa sunt, ut noxii libri e simpliciorum manibus, aliisque quos seducere ac depravare possint, juxta Ecclesiæ voluntatem non eripiantur. Peccant itidem, et quidem graviter, qui hujusmodi libros legentes, in iisque vel hæreses aut errores alios religioni, pietatique contrarios offendentes, eos denuntiare negligant sacre congregationi, vel episcopis, aut inquisitoribus, ut in catalogum prohibitorum referantur. Imo si libri alieni etiam a religione argumenti, de philosophia ex. gr. vel jure civili, tales sint, ut hæreses plures sæpius inculcent, vel unam eandemque crebro inserant, ac persuadere conentur, sicuti passim usu venire solet novatoribus, si habentur pro libris de religione tractantibus, inquit doctissimus P. Gretserus, ac jam damnati sunt per generalem legem, tum bullæ in Cœna Domini, tum Indicis; illosque tenentes, ac legentes sine necessaria licentia, postquam noverint hujusmodi esse hæresibus infectos, atque ab Ecclesia damnatos hæreticorum libros, in pœnas incidunt illis legibus contentas. Nam omnium judicio, per hæreticorum libros, si intelliguntur, qui de religione tractant, et hæreses continent, non unam, vel alteram, sed plures: et si eandem, sæpius, et cum studio repetitam, et inculcatam. Hujusmodi itaque libri, etsi in catalogo prohibitorum non leguntur, tamen ut hæreticorum libri ipso jure damnati sunt: Addit etiam citatus Gretserus lectionem libri qui de religione non agat, sed aliquam hæresim tan-

tum obiter contineat, excommunicationem secum ferre Indicis tantum, ob materiam parvitatem.

Si liber, qui de religione non tractat, aut catholici auctoris, sub excommunicatione prohibeatur, sed nec bullæ Cœnæ, neque reservationis mentio ulla fiat, excommunicatio reservata non est. At qui post Alexandr. VII brevibus, sive bullis particularibus proscripsi sunt, omnes fere reservatam excommunicationem secum ferunt; ut ex iisdem brevibus intelligere est, ad quæ lectores remittuntur in Epistola novæ Indicis editioni præfixa.

Nota 1. Constitutione pluries cit. *Omnium sollicitudinum*, Christi fidelibus in regno Madurensi, aliisque finitimis regionibus interdicitur, gentiliū libros legere, et retinere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nisi prius habita licentia parochi, sive missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committitur facultas super hoc dispensandi, et libros (qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, nihil contra bonos mores tractantes, pro Christianorum usu seligendi, eorumque lectionem permittendi.

Nota 2. In bulla Cœna non prohibentur libri ethnicorum, judæorum, et mahumetanorum. Nam ii hæreticorum nomine non veniunt. Libri de astrologia judiciaria, ac divinatione de rebus contingenter futuris, prohibentur a Sixto V sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ. Celebriores theologo censent, nomine librorum hæreticorum venire etiam libros Photianorum, Armeniorum, Jacobitarum, et recentiorum Nestorianorum, quia ii non sunt sub obedientia Romani Pontificis, sicut hæretici, atque eorum libri ita religioni sunt inimici, et ad seducendum apti, ut præsumi omnino debeat Ecclesiam, et Apostolicam Sedem, illorum quoque lectionem vetare voluisse. Hæc quantum ad pœnas: nunc de decretorum vi et auctoritate agendum est. Id vero nonnullorum dubiorum solutione præstabimus.

§ I

Proponuntur circa hanc materiam nonnullæ quæstiones.

Quæst. I. Utrum in prohibitione libri etiam manuscripta prohibita censeantur?

Resp. Affirmative, nam vel libri sunt hæreticorum, qui de religione tractant; vel sunt libri Catholicorum in catalogo prohibitorum Ecclesiæ sententiæ relati. Utrique autem prohibiti sunt sive manuscripti, sive typis editi circumferantur. Ad hæreticorum libros quod spectat, quis ignoret ab Ecclesia in bulla Cœnæ, et in generalibus regulis Indicis omnes damnari hæreticorum libros, qui de religione ex professo tractant? Itaque si manuscripta hæreticorum de religione ex professo agant, dubitari non potest, quin generali illa lege prohibita fuerint. Deinde, nemo negat, librorum nomine etiam manuscripta venire, quæ hoc nomine designabantur, dum nondum haberetur ars typographica, ac etiam nunc exprimi solent. Denique

nemo ignorat, Ecclesiam hos proscribere libros, ut a periculis, quæ ex eorundem lectione imminet, fideles liberet.

Itaque Ecclesiæ finis fuit hæc prohibitionem fideles a lectione scriptorum hæreticorum avocare, ne simpliciores corrumpantur, neve ipsi etiam docti in varios errores abierint, ut loquitur Pius IV, in sæpe citata constitutione. At si manuscripta non prohibuisset, incommoda hæc non evitaret. Nam possent hæretici sola manuscripta divulgare, aut alii curare possent, ut hæreticorum libri ita describerentur, sicuti omnem prohibitionem eludere. Accedit etiam, quod Ecclesia per hanc prohibitionem non minorem adhibeat sollicitudinem, quam adhibuisset ante inventionem artis typographicæ, ut a fidelium manibus noxios libros præcipiat. Ergo omnem prorsus lectionem vetat, etiam manuscripti. Ita sane omnes doctiores, et qui sunt in hisce rebus magis versati sentiunt, et ut nimis laxam contrariam opinionem rejiciunt, atque ut omnino committentiam habent declarationem sac. congregationis ab adversariis assertam.

Si liber vero prohibitus, aut de religione non tractet, vel sit auctoris catholici, cum non damnatus sit, quia typis editus, sed ob noxiam quam habet doctrinam, quis non videat etiam manuscriptum prohibitum esse?

Quæst. II. Utrum libri Catholicorum prohibiti in uno, sint etiam in alio idiomate vetiti?

Resp. Affirmative, nam regula præscripta a Clemente VII, § 6 ita habet: *In universam autem de malis et perniciosis libris id declaratur, atque statuitur, ut qui certa lingua initio editi, et deinceps prohibiti, ac damnati a Sede Apostolica sunt, eosdem quoque in quacunque postea vertantur linguam, censi ab Apostolica Sede sub eisdem pœnis interdictos, et damnatos.*

Quæst. III. Quinam concedere debeat legendi libros prohibitos facultatem?

Resp. Jus concessum episcopis et inquisitoribus sublatum esse per constitutionem Gregorii Papæ XV, incip. *Apostolatus officium*, in qua statuitur, de cætero similes licentiæ, nisi a congreg. sancti Officii concedantur. Deinde istud idem jus concessum fuit sac. Congr. Indicis, habetque magister sac. palatii pro Roma, et ejus districtu. Hoc autem notatum volui, ut lectores intelligant non posse locorum ordinarios hanc licentiam concedere, nisi illius concedendæ facultatem habuerint ab Apostolica Sede; quia inferior non potest legem superioris tollere, neque absolvere a reservatis Papæ, ut optime advertit Navarr., l. 1. *Consil. tit. 2, consil. 1, quæst. 36*, et quia per superiorem constitutionem hujusmodi jus Apost. Sedi reservatur.

Quæst. IV. Utrum decreta, quibus Romæ prohibentur libri, obligent omnes omnino fideles?

Res. Affirmative. Primum id liquet ex verbis supra citatis regulæ Clem. PP. VIII ubi dicitur libros prohibitos a Sede Apostol. in quacunque vertantur linguam, *censeri ab eadem Sede ubique gentium sub eisdem pœnis interdictos et damnatos.* Deinde, hujusmodi decreta approbari solent a Summis Pontificibus ac de re sunt quæ ad omnes fideles pertinet, cujusmodi est fidei, et morum doctrina. Quis vero dicat, decreta edita a summis viris, quales sunt cardinales, et approbata a Summo Pontifice, qui fatentibus omnibus catholicis, auctoritatem et jurisdictionem habet in universam Ecclesiam, vim non habere obligandi omnes fideles? Ab eo enim approbata vulgantur, qui potestatem, et animum obligandi habet. Ne dicas recepta non esse, vel non esse satis vulgata. Quis enim dicat, ex ovium acceptione vim pendere legum, quas pro communi bono supremus Ecclesiæ Pastor constituat, quibus velit omnes omnino obligare? Vel satis vulgata non esse decreta, quæ ita publicantur, ut facile ad omnium notitiam pervenire possint? Nam præterquam quod decreta hujusmodi typis consignantur, ut facile per manus episcoporum ad omnium notitiam pervenire possint, libri proscripsi Indici librorum prohibitorum inseruntur, ex quo fideles omnes facile intelligere possunt quinam sint libri Apostol. Sedis decreto damnati.

Denique, id eadem sac. Congr. definivit die 4 Decembr. an. 1674, in solutione dubiorum, quæ fuerant ex parte episcopi Malacensis proposita, quorum primum erat: An decreta sac. congregation. obligent etiam in regnis Hispaniarum? Alterum vero: An episcopi procedere possint contra transgressores horum decretorum? Sacra Congregat. respondit ad 1, *id non posse verti in dubium, cum decreta hujus Congregationis obligent universos Christianos.* Ad 2, *quod episcopi possunt procedere contra transgressores utendo propria auctoritate.*

Nota. Si alicubi ex Sedis Apostolicæ indulgentia, vel tolerantia usu receptæ non sint regulæ Indicis, ac bullæ Cœnæ, id unice inferri poterit, legentes libros non incurrere in censuras in illis expressas. At certum est, graviter peccare contra Ecclesiæ præceptum, quæ semper vetuit horum librorum lectionem, quæque idem per Romanum Pontificem inculcat et renovat. Hinc boni, probique Catholici ex omnibus partibus recurrere solent ad Apostolicam Sedem, vel ad habentes ab ea facultatem, ut legendi vetitos libros licentiam obtineant. Quæ ad libros prohibitos, Indices eorum, regulas in illis præscriptas, et Apostolicas constitutiones spectant, Franciscus Antonius Zaccaria in opere, cui titulus: *Storia polemica delle proibizioni de libri*, Romæ 1777, copiose pertractavit; nihil ut hic addi possit, quam ut qui plura de hoc gravissimo argumento cœsiderant, eam historiam conferant.